

jor sit, plurisve æstimanda. Quippe ea est vitæ humanæ conditio, ut impendenda sit fere opera nostra, ac sæpe sumptus, immò ipsa vita necessario periculis exponenda propter spem rerum ad conservationem, fœlicitatemve nostram aut alienam facientium, licet spes illa non sit certa, sed tantum probabilis; in ipsis pacis occupationibus, Agriculturâ, Mercaturâ, multoque magis in Belli alea. Analytica autem, quam naturaliter exercent omnes, etiam hæc optimè docet expendere, & quo pacto talia certam habent determinationem ex Analytica secundum artem expolitâ pulchrè admodum Clariss. Christ. Hugenius docuit exemplo ratiociniorum quæ circa ludum aleæ contingunt; uti videre licet ad finem Exercitationum Mathem. miscellanearum à Schotenio in lucem emissarum.

Huc pertinet quòd quemadmodum in rebus ex prudentia gerendis experiendum est quandoq; aliâ atque aliâ viâ, priusquam certò sciamus, an res hoc, an alio modo secundum vota succedet? priusquam certò sciamus an assequi possimus, quod videbatur expetendum? ità etiam in examine analytico antitheses aliquando variæ, variæ nonnunquam divisiones aliq; reductionis modi tentandi veniunt priusquam ad solutionem propositi alicujus problematis perveniatur. Non esset alienum ab hoc loco similitudinem inter has artes ulterius profèqui, ostendendo quomodo utriusque processus hypothesin quandoque falsam, & impossibilem detegit non multò minùs utiliter, quàm invenit aliam esse veram, aut possibilem: atque insuper exhibendo quomodo

modo